



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De quarto, quinto, & sexto decalogi Præcepto II.
De septimo decalogi Præcepto. III. De octavo decalogi Præcepto. IV. De
Ecclesiae Præceptis. V. De Sacramentis in genere & quibusdam in specie.
VI. De Pœnitentia. VII. De Matrimonio

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Pro Coronide.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53587)



PRO CORONIDE.

En Lector benevole medullam totius Theologiae Moralis, quæ cum ab utroque tum rigoris tum laxitatis extremo cautissime deslectat, & sanior, & sanctior audit; *sanior* enimvero, utpote quæ opiniones minus verisimiles, & periculosas detegit, easdem solide refellit, aliasque magis verisimiles, & minime periculosas stabilit: *sanctior* autem, utpote quæ non nisi sacris plerumque fundamentis, scripturæ scilicet, sanctis Patribus, Conciliis, & summorum Pontificum decretis innititur. Medulla hæc continet ea omnia, quorum notitia Confessarium omnibus numeris absolutum, & Pastorem animarum perfecte instructum reddere possit. Ad utrumque hoc munus digne & zelo obeundum subsidia affert longe saluberrima aureus ille libellus, quem famosissimus suæ ætatis Præf. Bartholomæus de Martyribus Ordinis Prædicatorum (de cujus canonizatione tractare Roma cepit) sub titulo *Stimulus Pastorum*, evulgavit: in hoc siquidem opere partes utriusque memorati officii tanta pietate & doctrina exponuntur, ut exacta inde & veri & boni Pastoris idea resulgeat. Si vero animus Theologiæ Moralis placitis non contentus altiora Theologiæ Dogmatico - Critico - Historiæ arcana penetrare desideret, consuli plane præ aliis merentur *Rudimenta Theologica* P. Ludovici Penzii Ord. Prædic. præclari, ac emeriti Theologiæ Professoris. Liber hic singulari prorsus eruditione conscriptus, mira claritate ac brevitate ea omnia continet, quæ tyroni SS. Theologiæ præprimis scitu necessaria sunt; verum enim usum, & intellectum Scripturæ sacræ, SS. Patrum, & Conciliorum solidissime exponit: præterea non solum historiæ, & Cryseos, quæ hac ætate præcipue excoluntur, adminicula accurate edocet, sed & quem locum, usumque in his disciplinis sana ratio habeat, sufficientissime declarat.

INDEX